

CONCIO VII.

rat habitatores, etc. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo quibus comparati quasi locustæ videbamur, Num. XIII. Ita nimurum aliquibus opera penitentiae, jejunium, disciplina, cibicum, prostratio, restitutio, deprecatio et similia videntur monstra esse horribilia, tribunal confessarii, terra, quæ devorat habitatores suos: sed audiant hi Josuen et Caleb, qui detractoribus terræ sanctæ dicebant: Nolite rebelles esse contra Dominum: neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem, ita eos possumus devorare, Num. XIV. Hoc enim de confessione dicere non dubito; nam etsi primo quidem aspectu austera videtur, ea tamen austeritas mox vertetur in suave gaudium, cum quis experietur liberatum se a remorsu conscientiae et servitute dæmonis. Licet enim pœnitens solvatur in lacrymas, licet sœviat in carnem, hoc ipsum tamen illi maximam affert consolationem, quemadmodum de se testatur S. Augustin. lib. IX. confess. cap. VI. Currebant lacrymæ, inquit, et bene mihi erat cum eis. David etiam lacrymas suas vocat panem suum, Ps. IV. et potum suum, Ps. LXXXIX. quasi ex iis bene et laute viveret. Qui de procul ad Alpes oculos conjiciunt, impossibile existimant eas descendere et superare: ac si prope ad eas accesserint, deprehendunt facilem esse per ambages ascensem, minime precipitem: ita pœnitentia præcogitata inexperts videtur continere nimiam asperitatem; at ubi eam deliberare et amplecti incipiunt, vident eam planam et facilem, nihilque jam morantur.

VI. Obstruunt etiam silices quandoque portam civitatis, seu os confitentis. Et hi desperationem emendationis denotant. Ut enim silices in agerem aut cumulum comportati, naturali lubricitate a se mutuo dilabuntur, adeo ut silicibus frustra aedificetur; ita persuadent sibi aliqui, se, licet crebrius confiteantur, cancrum recte ingredi docere aut silices construere, eo quod experiantur, illico se relabi. Sed dic tu mihi quæso: Si in aliquod vasculum frequenter haurias aquam, licet mox effundas, annon vasculum illud mundius evadet, quam si nihil unquam infudisses? Post comedionem brevi iterum esuris: num propterea vesci desines? An tu instar fatui lintea rursum usu sordida lavare noles? Debita tua non solves, quia experiris te quotidie nova contrahere? Quod si propositum emendationis habeas, licet probabiliter timeas te in idem peccatum relapsurum, valet tamen pœnitentia, et paulatim te disponet, ut habitum pœcandi abjures. S. Chrysostomus et Theophylactus, in Joan. asserunt paralyticum illum, Joan. V. qui triginta octo annis infirmabatur, singulis

illis triginta octo annis cum moveretur aqua, piscine assedisse, licet toties vidisset se preventum a potentioribus vel robustoribus operam perdidisse: sed qui tamdiu sanitatem frusta expectavit, tandem aliquando invenit; quia a Christo accepit, quod a piscina habere non potuit. Quia in re haud dubie animavit Christus eos, quibus animæ remedia sœpe nihil prosunt, ut ne illa spernant negligantque; quia quod non obtinetur hodie, cras forsitan obtinebitur, forte post annum, forte in extrema periodo.

Quando igitur, auditores, videmus, quænam sint repagula, quibus os pœnitentis obstruitur a dæmoni, demus operam ut quamprimum ea amoliamur. Admoveamus arietes fortis et virilis animi, ac perrumpamus ostiumoris nostri, eoque perfracto mactemus hostes nostros, (peccata nostra) et transeamus super eorum cadaveribus ad s. communionem, indeque ad celestem patriam.

CONCIO VII.

CONFESSORIS SACRAMENTALIS CONDITIONES.

- I. Prævium habeat examen conscientiae. — II. Sit contritione instructa. — III. Integra sit. — IV. Sit fidelis. — V. Sit obediens. — VI. Sit clara et distincta. — VII. Sit propria.

THEMA.

Si fortior eo supervenienti vicerit eum, universa arma ejus auferet. Lucæ XI.

Genesis XIV. cap. legimus bonum illum Lothum captum et abductum fuisse cum omni sua substantia a rege Chodorlahomor et sociis regibus. Quod ubi intellexit Abraham Lothi patruus per nuntium, qui evaserat: Numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem et octo: et divisis sociis irruit super eos nocte percussitque eos, reduxit quoque Loth, et omnia quæ illius erant. Quo redeunte est obviam ei Melchisedech, proferens panem et vinum, ac benedixit illi. Videtur hæc historia rationem expugnandi dæmonem per confessionis sacramentum pulchre delineare. Chodorlahomor generatio servitutis exponitur, et exercitum tenebrarum perpetuae servituti mancipatum adumbrat. Hic abducit Lothum, eum in servitutem suam redigit peccatoris animam. Quid igitur faciat peccator, ut animam sibi conjunctissimam redimat a tyranno? Si fortior eo supervenienti vicerit eum, inquit Dominus, in hodierno evangelio, universa arma ejus auferet et dividet spolia. Sed quis fortior erit fortis illo armato? Qui exercitum conscriperit et in hos-

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

tem illum duxerit. Exercitus porro ille totus e vernaculis, totus e peccatis tuis constat. Vernaculi servorum domesticorum filii sunt, qui hero domi sue nascuntur; quorum plurimi erant Abraham, gens ut plurimum male morata. Et hi sunt peccata tua, pessima genimina, domi tuae nata. Hæc ergo si numeraveris in conscientia tuae examine, et adduxeris per confessionem ad avares sacerdotis, debellabis aeras potestates, et liberabis animam tuam, occurretque tibi verus Melchisedech Christus in s. communione cum pane eucharistico et cœlesti benedictione. Verum quia multum interest, quales quisque habeat milites et quomodo instructos; vivendum nunc ut recte instruatur confessionis nostra exercitus. Solent hoc tempore reges ad bella procedere: procedamus etiam nos ad pugnam spiritualem.

I. Conserbuntur milites et ad tympani sonitum per omnes urbium plateas undique conquiruntur. Ita haud dubie Abraham convocavit suos vernaculos: alios e pascuis, alios e pistrino, alios ex agris, alios e caulis, horreis vel hortis, ut sibi præsto adessent. Prima est hæc conditio bona confessionis: prævium examen conscientiae. Excitanda memoria, vestigandi omnes sensus, loca, tempora, personæ quibuscum aliquando fuisse, quid hic vel ibi egeris; deinde, conquisita peccata sedulo adnotanda, ut ne tibi excidant, cum erit confitendum, quomodo inscribuntur milites ne duci elabantur. Possumus hoc discere e duabus illis similitudinibus, quas proposuit Christus, Lucæ XIV. Una est de eo, qui volens aedificare turrim: Sedens prius computat sumptus, qui necessarii sunt: altera de rege, qui iturus ad bellum: Sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se. Quisque per pœnitentiam liberari a peccatis et gratiam Dei recuperare cupit, turrim qua in cœlum scandat, aedificare querit, et cum adversario dæmonie pugnare debebit. Nonne igitur oportet ut sedens prius computet sumptus, sua scilicet peccata, quorum confessione hanc turrim extruere velit? Nonne prius sedens cogitare debet, quomodo cum decem, verbi gratia, peccatis confessario pandidis velit occurrere dæmoni, qui forte cum viginti aut pluribus veniet, de quibus eum accusare et reum agere poterit? Profecto si isti tibi longe plura objicere queat sceleris, quam tu confitearis, cum possis plura vel omnia: nonne tu succumbes? Sedulo is numerat et meminit peccata, vide ut tu quoque memineris. Sede ergo prius (non in confessione primum) et velut in re maxime seria, recogita peccata tua, ut confiteri possis omnia quantum fieri potest.

II. Armis accinguntur et instruuntur milites ad pugnandum idoneis. Ita Abraham expelivit instructos vernaculos suos, ut dicitur in Hebreo, armis scilicet bene communitos. Quid efficiet sine armis miles? Idem quod scelopum sine glande ferrea. Porro confessio peccatorum contritione, vel saltem attritione carens, miles est sine armis, bombardæ sine globo. Hujusmodi confessio sonitum quidem edit, sed non laedit hostem, quia globo contritionis caret, qui ex cordis penetralibus cum impetu et doloris sensu erumpat. Ediderant sane aliquem confessionis sonum Pharaon, Exod. IX. Saul, I. Regum XV. Judas proditor, Matt. XVII. Antiochus, I. Macch. VI. dicens se peccasse. Verum nihil effecerunt, quia sine dolore quasi sine glande confessionem ejaculati sunt. Qui murum civitatis reparabant, Nehemias IV. una manu aedificabant, altera tenebant gladium, quo hosti impedimenta molienti obstinent. Ita sese gerat, qui per pœnitentiam extruere murum gratiae vult: una manu enumaret peccata suo confessario, altera gerat gladium sinceræ contritionis, qua de iisdem dolet. Insidiatur enim dæmon homini in ipsa confessione, ne recte ab eo fiat.

III. Fit dilectus et recensio militum: leguntur enim et recognoscuntur, deinde in ordinem statuantur. Ita dicitur Abraham numerasse trecentos decem octo milites suos. Tertia hæc conditio bona confessionis est, integritas videlicet, ut omnia tua peccata, mortalia scilicet et que talia esse putas vel probabiliter times, confessario recenses; interim terminis generalibus, conditionatis, aliisque narratiunculis impertinentibus abstineas, eaque et tua acie velut inutiles milites excludas. Figuram hujus rei alteram præbuit Judas Macchabæus, cum I. Macchab. V. exercitum ducens contra Timotheum, constituit notarios ad torrentem, qui omnium omnino militum nomina conscriberent, ne quis subterfugeret: Neminem reliqueritis, ait, sed veniant omnes in præium; atque ita hostem fugavit. Judæ vocabulum confessionem sonat. Hæc ergo omnia peccata gravia ad tribunal Christi adducere debet, si victoriam reportare de diabolo velit. Ita enim Concilium Tridentinum, sess. XIV. cap. V. ait: Ex his colligitur oportere a pœnitentibus, omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessionem recenserit, etiamsi occultissima illæ sint, et tantum adversus dua ultima decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animam gravius saudant, periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur. Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quæ frequen-

tius labimur, quamquam recte et utiliter citra que omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen circa culpam, multisque aliis remedii expiari possunt. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a penitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant. »

IV. Milites sacramentum præstant et fidelitatem jurant, ad suum quisque vexillum, etc. Quarta hæc conditio est, fidelitas nimirum, ut ne falso te accuses: paris enim culpæ est, nolle se accusare et falso accusare. Scimus quam punitus sit Ananias et post illum uxor ejus Sapphira, cum mendacium obruderet Petro, Actor. V. cui ipse dixit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Confessarius Dei vices gerit et Christum repræsentat: non enim inquit: Christus te absolvat, sed: *Ego absolvo.* Quisquis ergo ipsi imponit, Deo se imponere sciat; ita tamen ut nequam Deum fallat, sed seipsum potius. Cave ergo dicere te omnium peccatorum reum esse vel omnia præcepta transgressum esse: cave eamdem semper peccatorum cantilenam occidere; quia non credibile te omnium reum esse, vel semper eodem modo peccasse.

V. Milites sequi ducem et ductorem suum debent, quod adeo sanctum erat Romanis, ut qui obedire et sequi quocumque ductor vellet detrectasset, ab ipso indicta causa occidi posset, ut testatur auctor antiq. Rom. I. X. c. III. Ita etiam par est ut penitens paratus sit obediens salutaribus confessarii sui monitis et quæ ab illo injungentur, executi. Oberrabat aliquando in solitudine Agar ancilla Saræ. Cui apparuit angelus Domini dixitque: *Agar ancilla Sarai, unde venis et quo vadis?* Quæ respondit: *A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.* Dixitque ei angelus Domini: *Revertere ad dominam tuam et humiliare sub manu illius,* Gen. XVI. Fugit a Deo peccator et oberrat in peccatis. Unde venis, o miser, et quo vadis? E celo fugisti, et ad inferos tendis. Ergo reverti ad dominam tuam Ecclesiam ejusque sacerdotem, et humiliare sub manu illius: patere te ab illo dirigi et moneri. Certe milites cum a suis ducibus et decurionibus fustibus tunduntur, non audent eis resistere, vel etiam contrahiscere. Cur non æquiore animo acceptet quis a confessario salutarem correctionem, quæ ei sanitatem mentis impertit, estque instar lingue caninæ, quæ delingens ulcera, sanat, teste S. Greg. hom. XL. in evangelia? « Canum etenim lingua, inquit, vulnus dum lingit, curat, quia et doctores sancti, dum in confessione pec-

cati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt. » Sane Lazarus ille ulcerosus non legitur repulisse canes, qui ad lingenâ ejus vulnera veniebant, Luc. XVI. Idem tu ne facito; sed ago potius gratias, cum te arguit confessarius qui non solum medicus, sed et judex tuus est.

VI. Acies instruitur et dividuntur milites in turmas. Ita Abraham divisus sociis irruisse in hostem dicitur. Debet ergo confessio præterea divisa, hoc est digesta et distincta esse, ita ut exprimantur clare non solum ipsa peccata, sed eorum etiam species et circumstantiae, maxime quæ variant speciem peccati vel aggravant valde peccatum. Audimus in hodierno evangelio, regnum in se divisum stare non posse. Dividemus autem Satanæ regnum, si peccatorum nostrorum turmam, quæ regnum et sedes est diaboli, partiamur in suas species, numeros et alias circumstantias; omnia sine dolo et clare exprimendo, quoties, quo loco et tempore, contra quem, quomodo deliquerimus. Consultum etiam foret servare in recensendo ordinem, pro memoriae beneficio, veluti per decem præcepta, septem vitia capitalia, præcepta Ecclesiæ: percurrere deinde cogitationes, verba, opera et omissiones. Nec obesset meo iudicio præmittere mox graviora, ne pudore vinctus ad finem eatas, quod accidit mulieri cuidam (in decantissima historia quam scribit Joannes junior in scala cœli), quæ certum aliquod peccatum diu celaverat et tandem confiteri statuit. Inter confitendum, quoties enuntiabat aliquod peccatum, toties bufo ex ejus ore, deinde e templo saltibus egredi videbatur cuidam religioso. Sed cum ad extremum enumeratis jam alis, venisset ad id quod promere erubesceret, pudore victa suppressit. Itaque omnes ejecti bufones cum alio quodam grandiore visi sunt repente regredi per templum et in os mulieris.

VII. Milites prohibentur stationem suam deserrere, retroducere aut subterfugere. Sic enim apud Diodorum, lib. XII. severa antiquæ militiæ lex habetur, ne quis a loco sibi assignato recedere attentaret. Similiter confessio accusatoria esse debet, non excusatoria. Is vero a statione quodammodo sua recedit aut subterfugit, qui peccata sua excusare nititur. Multi autem sunt qui cum accuratius in scelera sua inquiri cernunt, tergiversantur et refugiant: quod hereditario quodam morbo a primis nostris parentibus in homines derivatum asserit Greg. I. IV. moral. cap. XXIII. Adam enim in Evam, Eva in serpentem, suam rejicit culpam. Sed audiamus eumdem s. patrem, I. XXII. mo-

ral. cap. XIII. « Mortuo Lazaro, inquit, qui mole magna premebatur, nequaquam dicitur: Revisce, sed veni foras, ut nimis homo in peccato suo mortuus, qui intra conscientiam suam absconsus jacet per nequitiam, a seipso foras exeat per confessionem. Mortuo enim veni foras dicitur, ut ab excusatione et occultatione peccati ad accusationem suam ore proprio exire provocetur, etc. » Hujusmodi vitio plena fuit Saulis confessio. Cum ensim increparetur a Samuele, quod pepercisset melioribus Amalec contra expressum Dei præceptum, respondit præterea se reservasse aliqua ut Domino immolare: reprobato hoc prætextu fatetur se peccasse, sed neendum sine effugio: *Peccavi, inquit, timens populum et obediens vocis eorum,* I. Reg. XV. quasi vero regem deceat obedire populo, et non potius e contra. Certe si se humiliter accusasset, et non potius excusasset, non video cur vox *peccavi*, minus ei profutura esset, quam profuit Davidi, qui ob idipsum unicum verbum, nude et sine excusatione prolatum statim justificatus fuit, II. Reg. XII. Unde S. Gregorius ubi supra, c. XIV. non dubitavit scribere: *Deus non maledixit hominem cum peccavit, sed cum se excusavit, si primi parentes statim se accusarent, statim illis peccatum dimitteretur.* Quod idem tenent August. serm. III. de annuntiat. Bern. libr. de præcepto et dispens. Atque hæc sunt illorum perizomata de foliis fiscis, id est, inanes et futilis peccatorum excusationes, ut scribit S. Ambros. lib. de paradis. cap. XIII.

VIII. Militum quisque suam in præliis repræsentare personam debet, non alium substituere. Ita propria sit confessio; et sua, non aliena monstrat vulnera. Multi reperiuntur, qui alienos humeros suo premunt onere: uxores accusant maritos et mariti uxores: alii inimicos suos. Audi primam hominis confessionem: *Mulier, ait, dedit mihi de ligno et comedи.* Ecce ne solus reus prodeat, complicem sibi adjungit, se ait comedisse, mulierem dedisse. Non ita Sanctus David, sed: *Confitebor adversum me,* inquit, Psal. XXXI. *injustitiam meam Domino, et tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Quem et nos imitemur, ut ne nos et alios dum sanitatem querimus, gravius sauciemus.

Ad extremum miram historiam audiamus ex litteris Peruanis anni 1590. quam recenset Martinus Delrius, lib. II. disquis. mag. quæst. XXVI. sect. V. « Accidit in missione (illa Itatina) p. Samaniego res admirabilis et consideratione digna, cuique eo in genere vix contigit similis; quæ etiam ejusdem urbis incolis, in qua evenit, ita innotuit, totque testimonii confirmatur, ut

nullus dubitandi locus relinquatur; quæ ab iis personis accepta est, qui oculis et auribus hauserunt, qui casus eventu infelix ideo permisus est (quemadmodum etiam de similibus, quæ in confessione contigerunt, credi potest) ut hic novus populus discat, qua fide et integritate uti debeat poenitentiæ sacramento, in quo non parvam sentit difficultatem. Quare etiam Inda, quæ in omnium oculis legem integrae confessionis violabat, videntibus eisdem punita est et castigata; ut unius animæ ruina multarum salus procuraretur. Res igitur quæ accidit, est ejusmodi. Agebat in domo præcipuae cujusdam dominæ hujus loci adolescentula decem et sex circiter annorum, quæ bello capti ac baptismo tineta, Catharina vocabatur. In ea cum ætate crescebat libertas et mores dissoluti, etiamsi non raro ab hera reprehensa castigaretur; quæ eo pervenit malitia, ut cum perditis quibusdam clam consuesceret, nec tamen properea a confessione abstineret: sed hoc peccatum labris premeret, ne meretricula aut perditis moribus haberetur. Hæc igitur calend. aug. 1590. morbo depresso sacerdotem evocavit, cui animi noxas aperiret; sed id fecit non integre, ut et in eadem ægritudine novem aliis vicibus recedente sacerdote, præsentibus aliis famulis contemptim ridebat, hac ferme oratione: Aliud quod agerem, non erat, quam ut peccata faterer: adjectis etiam turpibus et dishonestis verbis, quibus offendæ cæteræ, singula ad heram referebant, quæ merito Catharinam increpans, tandem vultu et voce mutatis amice rogavit: Quænam illa essent, quæ patri aperire non vellet? Narravit illa non difficulter, adjunxitque quoties patrem in morbo vocasset ut se purgaret confessione, stetisse ad lævam quemdam Æthiopi similem, qui moneret ne fateretur, quod ea peccata levissima essent, et nullius momenti, et ex illorum confessione a patre dissolutor haberi posset: a dextra vero manu apparuisse S. Mariam Magdalena exhortantem, ut quidquid esset libere evomeret: accersit itaque rursum patrem domina de omni eo quod acciderat instruxit; qui modis omnibus tentavit, ut ad integrum animæ expiationem induceret, sed frustra: quo enim exhortabatur magis, eo reddebat obstinatior, ita ut nec nomen Jesus enuntiare vellet. Alio etiam tempore cum illi sacram crucifixi imaginem offerrent, ut in eum intueretur, et animo revolveret Christum, pro nobis cruci affixum et in cruce mortuum, summa cum indignatione et animi commotione respondit: Jam scio, sed quid vultis faciam? Ad quam hera: Ut ad Christum te convertas, qui admissa crimina re-

CONCIO VII.

mittat, si fatendo recognoscas. Cui Catharina : Obsecro ut mihi desinatis esse molestæ : cumque hera abscessisset, cœpit amores suos et turpitudinem decantare, duravitque ad dies plures hæc agendi et dicendi ratio, donec quadam nocte, accersita cum ancillis hera hæc in verba prorupit : Torqueor et animo angor plurimum ob violatam confessionem ; et ab ea hora usque ad medium noctem toto corpore obrigit, ut crederetur mortua, et de humatione et sepultura esset cogitatio : sed ad se reversa accitoque sacerdote, nihil de antiqua fatendi consuetudine remisit. Tres post horas, paulo antequam expiraret, exhortata a servis, ut apprehensa manu cruce et cereo sacro, nomen Jesu invocaret, respondit : Quis est ille Jesus ? Eum non novi, ac in ultimam partem lecti reflexa, sedensque audiabatur cum alio quodam, qui tamen oculos fugiebat, colloqui. Ac alia serva, quæ eodem in loco ægra decumbebat, vehementer dominam rogavit, ut in distinctum cubiculum transferretur, quod ut aiebat, larvas quasdam atras videbat, quibus admodum terrebatur. Nocte ea, qua Catharina extincta est, domus tota tam fœtido ac putri odore perfusa est, necessarium ut fuerit, cadaver loco patente et aperto exponere : dominæ etiam frater e cubili brachio extractus est ; ancilla quædam in humeris veluti calce percussa est, pertulitque aliquot dies ejus læsionis signa ; equus mansuetissimus alioquin, actus in murum calcibus hue et illuc discurrens tota nocte insaniit ; idem fecerunt et canes multa discursivee et latratu. Humato jam corpore, cum ex ancillis quædam locum intrasset, in quo Catharina debuerat, nemine conspecto, sensit in se vas quoddam, quod tabulatis impositum erat, jaci. Major præterea pars hujus urbis vidi multo crepitum et sonitu hue et illue plurimos lateres et tegulas, etiam ad duo millia passuum projici ; non quod in palatio ullus sit later vel tegula, cum, ut pleraque hujus urbis ædificia omnia, palma tegatur. Ancilla alia spectantibus multis pede protracta fuit longissime, etiamsi quæ traheret non videretur. Septimo octobris cum quædam serva vestiarium esset ingressa, ut inde vestem aliquam sibi sumeret, vidit Catharinam erigentem sese in pedes, ut vas quoddam ariperet : fugiente illa tanto impetu vas in murum impulit, ut in mille partes frangeretur. Die insequenti vestiario annexa fuit crucis imago chartacea, quæ uno impetu a muro avulsa in conspectu omnium tres in partes distracta est. Eodem die cum in horto domina cœnaret, medius later lani injectus totam cœnam evertit : cuius filius annorum quatuor, eo ipso tempore cla-

mare cœpit : Matercula, matercula, Catharina me præfocat : appensisque ad collum sanctorum exuvii ab ea pœna liberatus fuit. Hæc dominam coegerunt ut ædes mutaret et in consobrinæ domum se reciperet, relictis ancillis quibusdam ædium custodibus. Decimo dicti mensis, cum ex ancillis aliqua in officinam dispensatoris ivisset, sensit se ter a Catharina vocari : quam timore nimio dilapsam exhortata sunt cæteræ ut invocato Domini nostri auxilio, cereoque sacro accenso regredieretur : assumptis duabus, quæ cæteris animosiores videbantur, secure rediit, quam defuneta monuit, ut dimisis aliis, cero abjecto quod pœnam inferret, sola persistaret. Emittebat Catharina ex omnibus corporis juncituris flamas, incredibili cum fœtore. Caput cum pedibus ardebat, cincta erat veluti ignita fascia octo aut decem digitos lata, quæ in terram protendebatur, videbaturque libidinis et admisæ turpitudinis pœna et castigatio quædam. Viso hoc spectro tremere et exalbescere cœpit serva, ad quam infelix defuncta : Accede huc. Quoties ego te evocavi ? Respondit serva pene examinis : Bone Jesu, quis non horreat te visa ? Quæ cum diceret, in eumdem locum descendit formosissimus puer albis vestibus : qui servam hortatus est, ut posito timore forti esset animo, notaretque diligenter quæ a Catharina acciperet, ut in alias evulgaret, ac simul atque ab hoc loco abscessisset, confessione maculas omnes expiat. Tum hæc in verba Catharina : Scias inferno me mancipatam et gravissimis subjectam pœnis ; quod cum sacerdoti advolveret ut peccata faterer, levissima tantum referrem ; cujusmodi sunt, quod garrula essem et loquax ; in iram proclivis, et id genus alia : silentio vero involverem libidines, et consuetos cum adolescentibus congressus. Tu igitur disce bene confiteri, et nullum crimen facere. Horumque vos commoneo, quod ita mihi imperatum sit, cogarque aliorum in exemplum hæc verbis aperire. Jam pulsus ad salutandam Deiparam Virginem audiebatur : defuncta mox in angulum quemdam secedit et evanescit. Angelus vero (angelum enim fuisse quem viderat puerum, credebat famula) abire ad suos famulam jubet quod et fecit. » Nos ergo, auditores, quia in bonum nostrum damnata hæc apparuit, malo ejus docti melius instituamus nostram confessionem, expediamus vernaculos nostros, recensemus omnia peccata nostra ut a diaboli laqueis expediamus ac recuperemus animas nostras, etc.

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

CONCIO VIII.

IMPEDIMENTA CONVERSIONIS QUOMODO SUPERANDA.

- I. Consuetudo peccandi, et remedia. — II. Delectatio peccati, et remedia. — III. Societas et propinquitas, et remedia. — IV. Mundi negotia, et remedia. — V. Horror pœnitentiae, et remedia. — VI. Dæmonis insidiæ, et remedia. — VII. Mundi obrectatio, et scandala.

THEMA.

Erat (Jesus) ejiciens dæmonium. Luce XI.

Viderunt quidem Israelitæ luculenta indicia præstantiae terræ promissæ, botrum, malogranata, ficus : audierunt etiam ab exploratoribus ad eam missis terram illam manare lacte et melle ; ut merito quis existimare posset, jam tunc omnem sublatum iri difficultatem et murmurationem, quominus alacriter pergerent in cœpto ad eam itinere ; sed aliter evenit. Cum enim narrassent plerique exploratores, terram alioquin optimam, esse pene inexpugnabilem, imo devorare habitatores suos, obstare multos hostes, eosque gigantes, urbes eorum grandes et muratas usque ad cœlum, tum omnes consernati vociferari et flere incepérunt et denuo in Ægyptum regredi voluerunt. Josue tamen et Caleb contra asserebant, non difficile occupari terram illam posse, et obsistentes hostes omnes debellari : Quia sicut panem, ita eos possumus devorare, inquit. Sed cum his non moverentur, iratus eis Deus juravit se neminem ex iis, qui erant supra viginti annos ; adeoque qui murmurabant, introductum in terram illam, præter Josuen et Caleb. Quod et factum. Vidimus et nos ante octiduum in transfiguratione Domini, non obscura quædam indicia promissæ nobis patriæ et coelestis glorie. Vidimus enim Christi faciem rutilantem instar solis, vestes ejus instar nivis albas, cum ipso Moysen et Eliam, visos in maiestate, vocem celestis Patris desuper intonantis et Filium commendantis : et hoc totum in nube lucida et umbrosa. Quis ultra requirat aliquid, quo gloriæ nobis promissæ certitudo amplius firmetur ? Si enim hic in terra et exilio tam gloriosus apparuit Dominus, et suam quoque gloriæ Moysi et Eliæ communicavit : si ex sola hac visione Petrus inebriatus fuit, nesciens quid diceret : quid erit in patria et cœlo ? Annon igitur omnes illuc alacriter pergeremus ? Eritne unus ex omnibus qui in peccato sistere, nec ad gratiam contendere velit, quæ pignus illius est gloriæ ? Sed videor milii audire multos obmurmurantes et dicentes : Terra quidem nobis descripta revera fluit lacte et melle, ut ex transfigu-

ratione Domini colligi potest, sed cultores habet fortissimos, ibi multi sunt gigantes, qui armati nobis occurrent, nosque ab ingressu terre impedient : consuetudo peccati, delectatio amici, negotia mundi, pœnitentia, dæmon, mundus. Sed nolite rebelleres esse contra Dominum, dicebat Josue ; et nunc ego quoque dico : Neque timeatis populum terræ hujus ; quia sicut panem, ita eos possumus devorare. Recessit ab eis omne præsidium ; Dominus vobiscum est, nolite timere. Ad hoc enim monet nos Ecclesia per hodiernum evangelium, ut scilicet dæmonem nobis in via Dei obstantem ejiciamus digito et virtute Dei. Septem reges fuerunt, qui impeditre conati sunt Israelem ab ingressu terræ promissæ ; frustra tamen obstiterunt, sicut et septem spiritus nequiores in hodierno evangelio.

I. Erat Pharaon, Exodi XIV. qui primo dimittere noluit Hebreos ad sacrificandum et in terram Chanaan ituros. Secundo, discedentes insecutus est et retrahere in Ægyptum voluit ad pristinam servitutem. Sed primo, angelo mediante prohibitus, deinde, in mari rubro suffocatus est ; per quem designatur consuetudo peccandi, quæ instar Pharaonis indurata et in alteram mutata naturam non vult dimittere peccatorem ut convertatur ; sed abeuntem insequitur et ad priorem vitiorum servitutem reducere conatur. Id quod, non figurate tantum, sed re ipsa etiam experti sunt Hebrei, siquidem adeo assuerti erant Ægyptiacæ servituti, ut eam ægro desererent et sæpius iterum desiderarent, ac dulcissimo manna spreto, vilissima cæpe et allia Ægypti in desiderio illis essent. Ita etiam fit per assuetudinem, ut iter spirituale pœnitentiae et conversionis desipiatur peccatoribus, sapient vero solæ voluptates, fœda colloquia, impuri libri, ebrietas, impudicitia ; eaque non tantum ægre vitentur, sed subinde etiam iterum recurrent, juxta id : Naturam expellas furca, tamen usque recurret. Imo per consuetudinem fit ut homo non timeat intrare mare, id est, præsentissima mortis, pœnarum et gehennæ pericula. Sed qua ratione superabimus Pharaonem ? Fugiamus a mala consuetudine, cessando aliquamdiu a malo opere, verbi gratia, ebrietate, juramento, fornicatione, lectione libri impuri, etc. semper passum et passum faciendo contrariorum actuum vel saltem omissionis, malorum, verbi gratia, propone hodie abstinere ab ebrietate, postea tota septimana, postea toto mense, etc. Ita S. Bernardus, ut est in ejus vita, cum in Franciæ finibus agens nobilem offendisset, turpitudinis vitio addictum, ut eo sese quolibet die fede inquinaret ; eum severa oratione, at nihil proficiens